

**D**EUS, qui humanæ substantiæ dignitatem mirabiliter condidisti, et mirabilius reformasti: da nobis per hujus aquæ et vini mysterium, ejus divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostræ fieri dignatus est particeps, Jesus Christus, Filius tuus, Dominus noster: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus: per omnia sæcula sæculorum. Amen.



**L**AVABO inter innocentes manus meas: et circumdabo altare tuum, Domine:

**U**T audiam vocem laudis, et enarrem universa mirabilia tua.

**D**OMINE, dilexi decorem domus tuæ et locum habitationis gloriæ tuæ.

**N**E perdas cum impiis, Deus animam meam, et cum viris sanguinum vitam meam:

**I**N quorum manibus iniquitates sunt: dextera eorum repléta est munéribus.

**E**GO autem in innocentia mea ingressus sum: redime me et miserere mei.

**P**ES meus stetit in directo: in ecclesiis benedicam te, Domine.

**G**LORIA Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.

**S**ICUT erat in principio, et nunc, et semper: et in sæcula sæculorum. Amen.

## INITIUM SANCTI EVANGELII SECUNDUM JOANNEM.

**I**N principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt: et sine ipso factum est nihil, quod factum est: in ipso vita erat, et vita erat lux hominum: et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit. In propria venit, et sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus: qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. **ET VERBUM CARO FACTUM EST**, et habitavit in nobis: et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis.